DE VERRII FLACCI ET CORNELII LABEONIS FASTORUM LIBRIS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

AMPLISSIMO IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PHILOSOPHORVM ORDINI

TRADIDIT DEFENDETQVE

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE IX. MENSIS MAII ANNI MCMIV HORA XII

THEODORVS LITT

RHENANVS.

ADVERSARII ERVNT:

FRIDERICUS MEHL, cand. phil.
CAROLUS SONDAG, cand. phil.
FRIDERICUS WEEGE, cand. phil.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MCMIV.

PARENTIBUS

S.

Fastos qui non solum dierum notas sed etiam explicationes grammaticas et historicas continebant nonnulli auctores Romani composuisse traduntur. Primus eorum Fulvius Nobilior fuit, quem in fastis, quos in aede Herculis Musarum posuit, de mensium numero et nominibus disseruisse constat[1]). Libro fastos primus edidisse videtur Iunius Gracchanus; secuti sunt Cincius Nisus Masurius Sabinus Cornelius Labeo[2]), ut de eis taceam, qui de feriis libros composuerunt. Quorum librorum cum fragmenta admodum pauca ad nos pervenerint, alius huiusmodi operis reliquiae minus exiles aetatem tulerunt: Verrii fastos dico. Quamquam Verrium fastorum libros condidisse nullus auctor est, exstitisse tale Verrii opus Wintherus Mommseni coniecturam secutus evicit in dissertatione quae inscribitur: 'de fastis Verrii Flacci ab Ovidio adhibitis' (1885). Cuius ratiocinationis cardo in his versatur:

Teste Suetonio[3]) Verrius fastos Praenestinos lapidi incisos ordinavit, quorum fragmenta supersunt. Haec ita consentiunt cum multis Festi et Pauli quae ad fastos spectant glossis, ut alteris in alteris explicandis et restituendis maxime usus sit[4]). Festum vero Verrii de verborum significatu libros in epitomen redegisse constat, quam iterum descripsit Paulus Diaconus. Pari autem modo et fastorum Praenestinorum fragmenta et hae quas significavi glossae concordant cum

1) Macrob. I 12, 16. Varro d. l. L. VI 33. Censorin. d. d. n. 20. 22.

2) Teuffel, G. d. r. L.[5], p. 118.

3) de gramm. 17.

4) Muelleri in Festum praefat. p. XIII.

Ovidii fastorum libris. Qui consensus mutuus optime sic explicatur. Verrius fastorum librum composuit, cuius summa fastis Praenestinis continebatur; ex eodem libro cum Verrius in libros de verborum significatu, quippe quibus studiorum fructum universum colligeret, multa transtulit, tum Ovidius materiam sumpsit quam versibus describeret.

Wintheri argumenta postquam frustra refellere conati sunt Peter Willers Muenzer [1]), assentiendum puto Schanzio, qui omnino non iam dubitari debere dicit, quin Verrii fastorum librum Ovidius adhibuerit [2]).

Comprobata vero hac opinione alia protinus quaestio se offert. Num hoc opus Verrii, cuius auctoritas tantum valuerit apud posteriores, ita neglectum esse putemus, ut apud nullum auctorem reliquiae eius exstent — quamquam duos post Verrium scriptores, Masurium Sabinum et Cornelium Labeonem, fastorum libros composuisse Macrobius [3]) auctor est? Qui accidit, ut ceteri qui de fastis compositi sunt libri in notitiam nostram pervenirent, Verrii fastorum liber evanesceret? Hoc quomodo factum sit explicandum erit, ne qua de hoc opere dubitatio relinquatur: itaque de Verrii fastorum apud posteros auctoritate quaerendum mihi proposui.

Qua in disquisitione ne erremus, de Verrii fastorum proposito argumentis ordine quid compertum sit animo comprehendamus necesse est. Nimirum cum multa quae in fastis Verrius attulit apud alios quoque auctores, imprimis apud Varronem, exstitisse constet, maxime cavendum erit ne scriptorem aliquem ubicumque cum Verrii fastorum reliquiis consentire apparebit a Verrio pendere suspicemur. Ad cognoscendam autem Verrii fastorum indolem tria adsunt subsidia: fastorum Praenestinorum fragmenta, Festi quae ad fastos pertinent glossae, Ovidii fastorum libri. Quibus haec praecipue Verrii fastos continuisse efficitur:

Anni Romanorum historia, mensium ordo atque nomina, dierum differentiae exponebantur; quae fastorum pars ad anti-

---

1) Schanz, Gesch. d. röm. Litt. II 1, p. 320.
2) ibid. p. 215.
3) Sat. I 4, 6, 15; 16, 29.

quitates humanas spectabat. Feriae ludi sacrificia res omnino sacrae cum causarum enarratione describebantur. De deorum quorum in honorem institutae erant feriae vi et natura referebatur. Eo autem imprimis fastorum liber ab aliis quibus antiquitates divinae tractabantur operibus differebat, quod antiquitates sacrae non eo ordine exponebantur, quem rerum affinitas postulabat, sed disputatio secundum dierum ordinem progrediebatur.

Itaque eum certe scriptorem fastos adhibuisse suspicio erit, quem de illis rebus, quae fastis comprehendebantur, eo ordine, qui fastorum proprius erat, disputare apparebit. Atque apud huiusmodi tantum scriptorem num eruditio Verriana exstet quaerendum erit.

1.

De fastorum libris quae comperta habemus maximam partem debemus Macrobio, qui in Saturnaliorum l. I cap. 12—16 eos quos enumeravi auctores saepius affert. Atque universa quam his capitibus exhibet disputatio ad fastorum propositum spectat: exponit enim, annum qua ratione constituerit Romulus, mutaverint Numa Caesar Augustus, menses unde nomina acceperint, Kalendae Nonae Idus unde ortae sint, dies denique quo modo inter se differant. In hac ipsa autem disputatione unum exstat Verrii fragmentum, quod ex fastis ortum esse maxima cum probabilitate coniectatur. Sacrum enim Kal. Apr. Veneri a matronis fieri solitum, quod citato Verrio Flacco commemoratur (XII 15), et in fastis Praenestinis et in Ovidii fastis (IV 133) describitur. Recteque observavit Wintherus, ipsum huius paragraphi initium indicare libri compilati indolem: cum enim hoc legatur apud Macrobium 'non tamen negat Verrius Flaccus hoc die postea constitutum e. q. c . . .', nullius antea diei mentione facta, ex libro aliquo descriptum esse hoc enuntiatum manifestum est, quo singulis diebus quae sacra fierent exponeretur.

Neque vero hac tantum paragrapho doctrina Verriana comparet. Non fugit Wissowam, qui de horum capitum origine disputavit[1]), mirum in modum ea, quae de dierum differentiis cap. XVI par. 1—25 exsecutus est Macrobius, consentire cum his Verrii reliquiis:

Macrob. I 16		Festus (Paulus) et fasti Praenest.	Ov. fast. I
2	dies festi		
	profesti	228/229 profesti 253 profestum fast. Praen. a. d. IV id. Jan.	v. 49
3	intercisi		
4	feriae	86 ferias	
6	stativae	92 feriae statae	
	conceptivae	62 conceptivae feriae	
	nundinae	86 s v. ferias. 171/173 nundinas	v. 54
7	familiarum	242 privatae feriae 70 denicales	
14	dies fasti	93 fastis. fast. Praen. a. d. IV non. Jan.	v. 48
	nefasti	93 fastis 165 nefasti	v. 47
	comitiales	38 comitiales. fast. Praen. a. d. III non. Jan.	v. 53
	stati	314 status	
	(idem citatur versus Plauti, adiecta etiam vocis 'hostis' explicatione!)		
15	iusti	103 iusti	
	proeliares	226 proeliares	
17 s.		154/156 mundus	
21	postriduani	178/179 nonarum fast. Praen. a. d. IV non. Jan. a. d. VIII id. Jan. a. d. XIX Kal. Febr. 278 s. v. religiosus 7 Alliesis dies.	v. 57

Ex quonam Verrii opere haec petita esse videntur? Cum ea horum capitum paragraphus, qua sola Verrius citatur, a Verrii fastis orta sit, considerandum est, num ex eodem fonte haec de diebus disquisitio fluxerit. Atque Verrium in fastis de dierum differentiis egisse, et Ovidii quos adscripsi versus et fastorum Praenestinorum fragmenta ostendunt. Itaque ex Verrii fastis potius tot dierum vocabula sumpsisse quam ex libris de verborum significatu summo cum labore

1) De Macrobii Saturnaliorum fontibus (1880), p. 34.

conquisivisse[1]) putandus est Macrobii auctor. Prospere autem evenit, ut ad comprobandam hanc opinionem praesto sit integra Verrii ipsius qua de diebus atris agitur glossa. Gellius enim n. A. l. V c. 17 quae de his in libro de verborum significatu IV invenerat exscripsit: quae quamvis in rebus plane consentiant cum Macrobii cap. XVI par. 21—25, tamen pleniorem esse Macrobii narrationem neminem fugit. Neque hoc mirum, cum in libris de verborum significatu brevius sine dubio de dierum differentiis Verrius egerit, quam in fastorum libris. Itaque his sua debuit Macrobii auctor, cum illos Gellius adhibuerit.

Quae coniectura eo confirmatur, quod alia, quae in his capitibus Macrobius exhibet, mire respondent Verrii reliquiis. Argumentorum series quibus Martium initio primum mensem fuisse evincitur (XII 5—7) fere universa redit apud Ovidium (f. III 135—150). Praeterea haec conferenda sunt:

XII 31 Kalendae fabariae	Ov. f. VI 101 ss.
XV 10 Kalendae	Paul. p. 225 praecalare, p. 348 septem dies, fast. Praen. Kal. Jan.
13 nonae	Fest. p. 173 nonas.
14—16 Idus[2])	Paul. p. 114 Lucetium, p. 74 dies, p. 104 idulis ovis.
18 Idus Iovis, Kalendae Iunonis	Ov. f. I 55 s.
21 dies nuptiis copulandis religiosi.	Paul. p. 178/179 nonarum dies.

Quibus de causis Macrobii auctorem quisquis fuit Verrii fastos non neglexisse iam coniecerim; qua ratione eos adhibuerit mox videbimus.

2.

Miro modo in continua Macrobii disputatione eae excellunt paragraphi, quae ad mensium nomina enucleanda per-

1) Hoc enim coniecit Wissowa p. 34.

2) De Diespitre aliter Varro ap. Aug. IV 11 (Agahd, M. Terenti Varronis antiqu. rer. div. libri, Jahrb. f. class. Phil. Suppl. XXIV, p. 168).

tinent (XII 5 ss.). Nusquam enim ceteroquin tot virorum doctorum opiniones afferuntur, excutiuntur, refutantur. Idem apud alios qui de mensium nominibus disserunt scriptores observatur: non paucos viros doctos indagare conatos esse, unde menses nomina accepissent, magnamque fuisse de hac quaestione inter eos dissensionem. Itaque haec ipsa disputatio praecipue idonea est, a qua profecti Verrii opinionem dilucide secernamus a ceterorum auctorum eruditione.

Quod propositum adgressuri adhibeamus Censorinum, qui libri qui inscribitur de die natali cap. XIX ss. anni Romanorum originem et mutationes ita exponit, ut manifestissimus inter eum et Macrobium intercedat consensus. Qua de causa Wissowa Reifferscheidium secutus communem esse utrique auctori fontem comprobare studuit[1]). Nos omissa interim hac quaestione eam tantum disputationis Censorinianae adhibebimus partem, quae ad mensium nomina explicanda pertinet, cap. XXII par. 9—17.

Mensium nominum veriloquia quae Censorinus profert quamquam eadem sunt quae apud Macrobium leguntur, tamen in una re satis notabili discrepant. Censorinus enim refert, Varronem mensibus nomina non a Romulo — quod putaverant Fulvius et Iunius fastorum scriptores — sed a priscis Latinis indita arbitratum nova mensium veriloquia protulisse, imprimis autem derivasse

Aprilem non ab Aphrodite sed ab aperiendo,
Maium non a maioribus sed a Maia Mercurii matre,
Iunium non a iunioribus sed a Iunone.

Quid autem Macrobius? Primum quidem compluribus locis mensium nomina a Romulo orta esse diserte affirmat[2]); sed quod gravius est, semel tantum (XII 13) Varro citatur, ubi Aprilem ab aperiendo eum derivasse legimus, aliorum autem mensium nova veriloquia non ipsi sed Cincio (XII 12,

1) p. 17 ss.

2) cf. Macrob. XII 5. Romulus primum anni mensem genitori suo Marti dicavit. Censorin. 22, 11 Martium a Marte nominatum . . . non quia Romuli fuerit pater, sed quod gens Latina bellicosa — et alibi.

18, 30) tribuuntur. Qui factum est, quod Macrobius unum tantum veriloquiorum, quae Varronem commentum esse Censorinus contendit, Varronis esse dicit, cetera ei abiudicare videtur? Utrum Macrobio an Censorino fides habenda sit ut cognoscamus, ad Varronis ipsius redeundum est auctoritatem. Varro anni Romanorum historiam explanavit in antiquitatum humanarum libris XIV—XIX, quibus agebatur 'de temporibus'; quorum librorum summa continetur libri de lingua Latina VI cap. 1. 2. 4. Par. 33 autem Varro ea profert mensium veriloquia, quae Fulvium et Iunium exsecutos esse et Censorinus et ipse Varro dicit, in solo Aprilis nomine explicando dissentit ab eis, non ab Aphrodite sed ab aperiendo eum appellatum esse arbitratus.

Macrobio igitur, non Censorino fides habenda; hic enim Varroni tribuere videtur, quae non Varronis sunt. Quae suspicio confirmabitur, si alius viri docti eruditionem a Censorino exprimi ostenderimus. Macrobium nova illa mensium veriloquia Cincio adscribere iam dixi: sed Cincius Maium non a Maia Mercurii matre, ut Censorini auctor, sed a Maia Vulcani uxore appellatum esse putavit (Macr. XII 18); Maiae autem Mercurii matri quis Maium mensem vindicaverit Macrobius (XII 19) non profitetur. Constat autem Festi et Ovidii (v. infr.) testimoniis, Verrii Flacci hoc esse inventum. Iam vero comparatis Verrii quae ad mensium nomina pertinent reliquiis satis uberibus cuius doctrinam Censorinus exhibeat in aperto erit:

Censorin. d. d. n. XXII.	Festus et fast. Praen.	Ovidius.
11 Martium mensem a Marte nominatum ... quod gens Latina bellicosa.	p. 150 Martius mensis initium anni fuit et in Latio et post Romam conditam, quod ea gens erat bellicosissima. fast. Praen. Martius ab Latinorum (Marte appel)landi itaque apud Albanos et plerosque (po)pulos Lat(ii m)os idem fuit ante conditam Romam.	III 85 Mars Latio venerandus erat, quia praesidet armis. arma ferae genti remque decusque dabant. inde a v. 87 Martium mensem in Albanorum aliorumque Latinorum fastis fuisse legitur[1]).
Aprilem ... ab aperiendo, quod tunc fere cuncta gignantur et nascendi claustra aperiat natura.	fast. Praen. (Aprilis a) Venere .... quia fruges flores animaliaque ac maria et terrae aperiuntur.	IV 85 ss.
12 Maium ... a Maia nomen accepisse, quod eo mense tam Romae quam antea in Latio res divina Maiae fit et Mercurio.	p. 134 Maius mensis in compluribus civitatibus Latinis ante urbem conditam fuisse videtur .... dictus ... a Maia, quod Mercurio filio eius res divinae fiant solennes; an quod ipsi deae in multis Latinis civitatibus sacrificia fiebant.	V 79 ss.

1) Plenissima de Martii nomine disputatio servata est his Ovidii versibus, quibus quanta diligentia hanc quaestionem tractaverit, quot urbium fastos ad confirmandam suam sententiam inspexerit Verrius elucet. Festus, quod saepius ei accidit, Verrii sententiam paulum perturbavit: cum enim Martium mensem et in Latio et post urbem conditam fuisse (Ovid., fast. Praen.), Romulum autem anni initium eum fecisse (Ovid.) Verrius exsecutus sit, Festus duabus his rebus confusis Martium et in Latio et post Romam conditam initium anni fuisse refert.

Censorin. d. d. n. XXII.	Festus et fast. Praen.	Ovidius.
Iunium a Iunone, quod illo mense maxime Iunoni honores habentur.	p. 103 Iunium mensem dictum putant a Iunone. Iidem ipsum dicebant Iunonium et Iunonalem.	VI 26 ss. v. 59 ss. memorantur menses Iunonius et Iunonalis, qui fuerint in fastis urbium Latinarum.
13 ... nominibus iam ex Latio sumptis ... Ianuarium a Iano.	fast. Praen. ... (appellat)ur in Latio.	I 63 ss.
14 Februarium a februo. Est februum quidquid expiat purgatque, et februamenta purgamenta, item februare purgare et purum facere. Februum autem non idem usquequaque dicitur: nam aliter in aliis sacris februatur, hoc est purgatur. In hoc autem mense Lupercalibus, cum Roma lustratur, salem calidum ferunt, quod februum appellant, unde dies Lupercalium proprie februatus et ab eo porro mensis Februarius vocitatur.	p. 85 Februarius mensis dictus, quod tum ... populus februaretur, id est lustraretur ac purgaretur ... Lupercalia, quo die mulieres februantur a lupercis ...; quam ob causam is quoque dies februatus appellatur. Quaecumque denique purgamenti causa in quibusque sacrificiis adhibentur, februa appellantur[2]).	II v. 19—30 enumerantur februa, quae in sacrificiis adhibentur. v. 31 Mensis ab his dictus, secta quia pelle Luperci. omne solum lustrant idque piamen habent.

---

2) Quod Februarii nominis derivatio, quae apud Censorinum legitur, paululum differt a Pauli glossa, hoc modo explicatur: Verrius in enucleando Februarii nomine varia februa, quae in sacris adhibebantur, enumeravit. Inter haec autem februa salem quoque calidum fuisse, quod Lupercalibus ferebatur (Censorin.), infra ostendam.

Ad verbum igitur fere quae apud Censorinum leguntur congruunt cum Verrii reliquiis. Id ipsum demonstrandum sibi proposuit Verrius, nomina mensibus non a Romulo, sed ante urbem conditam a Latinis indita esse, quod ut comprobaret multarum urbium Latinarum fastos [1]) adiit.

Itaque quae ut Varroniana a Censorino afferuntur revera Verrii sunt. Hic error utrum Censorino an Censorini auctori tribuendus sit nescio: de errore ipso dubitari nequit.

3.

Verrius de mensium nominibus quid arbitratus sit cum perspexerimus, in eo offendimus, quod apud Macrobium, cuius auctorem Verrii fastos adhibuisse conieci, Verrii de hoc argumento sententia quamquam non plane evanuit tamen obscurata et paene obruta exstat aliorum scriptorum, imprimis Cincii, doctrina. Cap. XII par. 12/13 affertur Verrii de Aprilis nomine opinio; sed laudantur ei tantum auctores, qui ante eum idem senserant: Varro et Cincius. Par. 30 legimus Verrii de Iunii vocabulo sententiam; sed eius tantum viri nomen exstat, qui ante eum eandem protulerat: Cincii. Par. 19 affertur id Maii mensis veriloquium, quod ante Verrium neminem proposuisse ostendi: sed Verrii nomen silentio tegitur, cum paragrapho antecedente iterum laudetur Cincius. Quid igitur? Cincii grammatici opera Verrium adhibuisse constat, cum saepe in libris de verborum significatu ad huius scriptoris redeat auctoritatem. Ac Cincius cum reliquisset fastorum librum (Macr. XII 12), Verrium in componendis fastorum libris eum non neglexisse consentaneum est. Varro autem quin a Verrio saepe consultus sit nemo dubitabit. Quae cum ita sint, Macrobii auctorem deprehendimus eadem compilandi ratione usum esse, quae apud tot serioris aetatis scriptores

---

1) Qui enumerantur Ov. f. III 89 s. VI 59 s. Eidem fasti in duabus Festi glossis (p. 257 Quinquatrus p. 313 stroppus) citantur. His studiis quod deditus erat Verrius fastos Praenestinos ordinavit.

observata est: eos potissimum exscripsit auctoris sui locos, quibus aliorum scriptorum verba afferrebantur, ipsius autem quem compilavit nomen quantum fieri potuit silentio texit, scilicet ut ipse illorum scriptorum libros inspexisse videretur. Quae suspicio diligenter examinatis Macrobii verbis confirmatur. In enucleando Maii nomine Verrius primum quidem Fulvii Nobilioris (XII 16) et Cincii (18) opinionem attulit, deinde, ut falsam hanc esse ostenderet, Pisonem laudavit, postremo (19) quid ipse sentiret explanavit. Praeterea inspicias velim eam paragraphum, qua Verrius citatur (15). Quae enim hic leguntur verba 'Non tamen negat e. q. c.' perspicue ostendunt, Verrium ipsum eos qui antea laudati sunt scriptores Cincium et Varronem attulisse iisque adsensisse, deinde addidisse haec fere: 'non tamen nego — scil. quamquam Aprilem a Venere appellatum esse ut Varro et Cincius nego — hoc die postea e. q. c.' Quem locum ita descripsit Macrobii auctor, ut ex eodem scriptore ea quae antecedunt sumpta esse appareat.

Itaque auctoris Macrobiani culpa factum est, ut in his capitibus paene obrueretur Verrii de mensium nominibus opinio. Ipsum enim illum inspexisse omnes quos laudat scriptores nemo contendet — aut cur unius Verrii nomen opprimi soleat nullo modo explicari poterit.

4.

Macrobii de mensium nominibus disquisitio ad eundem revocata est virum doctum, cuius eruditionem Censorinus profert. Num inde ex eodem fonte Macrobium et Censorinum hausisse efficitur? Immo vero per diversos scriptores subministratam esse eruditionem Verrianam Macrobio et Censorino ostendi. Censorini enim auctor neglecta aliorum quos Verrius attulerat scriptorum opinione accurate et diligenter ea exscripsit, quae de mensium nominibus ipse exposuerat Verrius. Macrobii autem auctor quippe qui nihil antiquius haberet quam ut celaret, cui sua deberet, non solum nomen eius quantum fieri poterat oppressit sed etiam doctrinam obscu-

ravit. Itaque consensus, qui inter Macrobium et Censorinum intercedit, inde explicandus est, quod et illius et huius auctor Verrii fastos compilaverunt[1]). Atque hic quidem consensus ad id ipsum argumentum pertinet, de quo in fastis Verrius disseruit. Annum qualem constituisset Romulus, qua ratione mutavissent Numa Caesar in fastis Verrius explanavit: Ovidii qui ad anni historiam pertinent versibus (I 27—44; III 99—166) eadem breviter exponuntur, quae apud Censorinum et uberrime apud Macrobium exstant. Quod autem in una re consentiunt Macrobius et Censorinus, quae in Verrii fastis non legeretur — ea dico quae uterque refert de mensium nominibus post Augusti aetatem mutatis (Macr. XII 36, 37, Censor. XXII, 17) — non evertitur eo ratiocinatio mea: nam illud nemo, qui imperatorum aetate de mensium nominibus dissereret, neglexit[2]). Itaque nihil valet hic consensus prae illa quam indicavi discrepantia.

Reifferscheidius vero et Wissowa Suetonii de anno Romanorum librum et a Censorino et a Macrobio compilatum esse sibi persuaserunt: nobis ea quaestio se offert, uter a Suetonio pendere videatur. Equidem de Censorino hoc affirmare non dubito; neque argumentis hanc opinionem confirmare opus est, cum Reifferscheidium secuti Schanzius[3]) et nuper Weber[4]) certissima ostenderint indicia, quibus Censorinus Suetonii de anno Romanorum libro usum se prodit. Praeterea minime ea in qua deprehensus est Macrobii auctor compilandi ratio in Suetonii quale adhuc probatum est ingenium convenit.

---

1) Verrio imprimis Censorini auctor debet accuratam quam prae se fert fastorum Latinorum cognitionem, quos Verrium inspexisse constat (Censor. XX, 1 Ferentinorum, Laviniorum, Albanorum; XX, 2 Albanorum iterum; XXII, 6 Albanorum, Aricinorum, Tusculanorum).

2) Eadem leguntur apud Plutarchum (Num. 19), quem Suetonii de anno Romanorum librum adhibuisse nemo contendet.

3) In Herm. vol. XXX p. 401 ss.

4) Quaestionum Suetonianarum capita duo. 1904.

5.

Pars igitur satis ampla Verrii fastorum nobis reddita est: Macrobii de Romanorum anno mensibus diebus disputationem principalem ex Verrii fastorum libris derivatam esse cognovimus. Atque hae paragraphi maxima cum probabilitate Verrio tribuentur:

cap. XII 2—8[1]. 12—19. 30—35[2]. 38. 39.

In cap. XIII et XIV non tam accurate, quam in cap. XII, Verriana segregari possunt ab additamentis; tamen hoc quidem Censorini consensu efficitur, partem horum capitum principalem, qua Numae anni ordinatio, ratio intercalandi, Caesaris et Augusti ordinatio explanantur, Verrio vindicandam esse.

cap. XV 9—16[3], 18, 21, 22.
cap. XVI 1—7[4]. 13—25[5].

Ex his reliquiis qualem in fastorum libris instituerit disputationem Verrius apertum fit. Diligentissime eorum qui ante eum de eodem argumento scripserant inventa attulit examinavit, aut novis argumentis comprobavit aut refutavit. Adhibuisse videtur hos grammaticos et rerum scriptores:

Varronem: XII 13[6]. XIII 20. 21. XV 18. 21. XVI 18. 19.
Cincium: XII 12. 18. 30.
Fulvium Nobiliorem: XII 16. XIII 21.
Iunium Gracchanum: XIII 20.
Pisonem: XII 18.
Nisum: XII 30[7].

---

1) Par. 2—4 Verrii esse Censorini consensu efficitur.

2) De par. 31, qua a Iunio Bruto Iunius derivatur, dubitari potest.

3) Par. 17 ipse Macrobii auctor loquitur.

4) Par. 9—12 ex commentario Vergiliano fluxerunt (cf. Serv. in Verg. Georg. I 268—272).

5) Par. 26. 27 ex Gellio (V 17) Macrobius descripsit.

6) Hic locus ex antiquitatum humanarum libris petitus esse videtur, cnm minus fuse de Aprilis nomine disserat Varro de ling. Lat. VI 33.

7) Nisus Verrii aequalis fuisse videtur (Teuffel G. d. r. L.[5] p. 680). Aequales Verrius in libris quoque de significatu verborum saepe adhibuit.

Praeterea annalium scriptores citantur XIII 20, 21 et XVI 21, 25, quorum testimonia num ipse collegerit dubitaverim. Certe neminem neglexit, qui ante eum de anni Romanorum historia scripsisset.

Iam nacti sumus fundamentum, quo in investigandis Verrii fastorum reliquiis nitamur: ita enim in tractanda hac quaestione Verrius dissensit a ceteris grammaticis, imprimis a Varrone, ut hac de anno mensibus diebus disputatione optime agnoscatur ratio Verriana.

6.

Neque vero de Romanorum anno mensibus diebus tantum, quorum cognitio ad antiquitates humanas pertinebat, sed etiam de feriis ludis, de universis quae cum singulis anni diebus cohaerebant antiquitatibus divinis Verrius in fastis egit. Neque desiderantur in his de quibus adhuc disserui Macrobii capitibus quae ad hoc argumentum spectent. Alia vero insunt in hoc Macrobii libro capita, quae in sola hac materia tractanda versantur, cap. VII—X. Quae cum, ut dixi, non minus quam capita XII—XVI pertineant ad fastorum propositum, num ex eodem fonte atque illa fluxerint considerandum est.

Ac primum quidem opus aliquod compilatum esse his capitibus a Macrobio manifestum est, cuius argumentum indoles disserendi ratio et ordo simillimus erat Verrii fastis. Profectus enim a Saturnaliorum commemoratione Macrobius primum ad quas causas referantur Saturnalia a viris doctis exponit, deinde de Saturni natura, de templo et ara refert, pergit de Iani vi quid scriptores sentiant explanare, porro transit ad alias ferias, quae eodem mense atque Saturnalia celebrabantur, Compitalia Angeronalia Larum ferias Larentalia, harum quoque feriarum originem illustrat, postremo ad Saturnalia redit. Exscripsit igitur librum, quo feriae eodem ordine enumerabantur et tractabantur, quo celebrabantur, qui praeterea de feriarum origine et de deorum, quorum in honorem institutae erant, natura multa continebat: ne longus sim, talem librum, qualis fuit Verrii fastorum liber. Male

autem evenit, quod tota fere disputatio ad Decembris mensis ferias spectat, quem versibus non descripsit Ovidius: ea tantum, quae ad Ianum pertinent, comparari possunt cum Ovidii fastorum l. I v. 65—282, quibus eius dei vim atque naturam accurate et fuse, ut in operis initio fieri solet, exponit.

Macrobius.			Ov. fast. I
VII	19	Ianus rex	v. 241 ss.
		Ianiculum	245
	20	Antevorta et Postvorta (divinitatis aptissimae comites)	633 Porrima' et Postverta (Carmentae comites)[1].
	21	Saturnus exceptus	233
	22	as signatum	229 ss. (Paul. p. 275 ratitum).
	24	Saturnia	237 (Fest. p. 322 Saturnia).
IX	7	Iani clavis et virga	99
	9	Ianus utriusque ianuae caelestis potens	139 s. 125 s.
		Ianus primus in sacris invocatus	171
	11	Ianus totius mundi potens	117
	14	Ianus et elementa	103 s. (Paul. p. 52 Chaos).
	15	Ianus Patultius et Clusivius	129
	17	Iani fores	259 ss.[2].

Comparatis igitur Macrobio et Ovidio idem cadere in hanc disputationem observatur, quod de cap. XII—XVI executi sumus: auctor primarius, ut ita dicam, Verrius esse videtur. In eandem autem opinionem inducimur collectis Verrii quae cum reliqua Macrobii disputatione cohaerent reliquiis, quae et ipsae ex Verrii fastis ortae sunt: deprehendimus enim consensum non minus conspicuum:

---

1) Aliter Varro ap. Gell. XVI 16 (Agahd p. 169).

2) Ovidii de Iano gemino narratio non plane consentit cum Macrobio: sed haec discrepantia unde orta sit apertum fit comparatis Ovidii Metamorph. l. XIV v. 775—804, quibus eadem fabella narratur. Ovidius enim in fastis eam, quam apud auctorem suum invenerat fabulae formam conciliavit cum ea, quam ipse in Metamorphoseon libris protulerat.

Macrob.	
VII 24 Saturni falx	Fest. p. 325 Saturno, 186 Opima.
27 collis Saturnius	p. 322 Saturnia.
28 lacus Cutiliensis	Paul. p. 53 Cutiliae lacus.
31 humana capita Saturno sacrificata	Ov. f. V 625 s. Fest. p. 334 sexagenarios.
cf. XI 47	Ov. f. V 639 s.
33 cerei ditioribus missi	Paul. p. 54 cereos[1].
34 Compitalia	p. 40 Compitalia.
35 effigies Maniae suspensae	p. 121 laneae effigies. p. 239 pilae et effigies p. 128/129 Manias.
VII 36 Saturnalia iam in Graecia celebrata	Macrob. I, IV 7 (citatur Verrii libellus qui Saturnus inscribitur)[2].
VIII 2 ara Saturni	Fest. p. 322 Saturnia.
ad quam capite aperto sacrificatur	ibid. Paul. p. 119 lucem facere.
X 2 ss. Saturnalia uno tantum die celebrata	Fest. p. 325 Saturno. p. 254 s. v. Quinquatrus.
7 Angeronalia	fast. Praen. a. d. XII Kal. Ian. Paul. p. 17 Angeronae.
11 Larentinalia	fast. Praen. a. d. X Kal. Ian.[3]. Paul. p. 119 Larentalia Ov. f. III 57.
19 Ops = terra	Paul. p. 187 Opis.
20 Saturnus a satu dictus	Fest. p. 186 s. v. Opima.

Sed ne qua dubitatio relinquatur: non secus atque in cap. XII—XVI auctoris Macrobiani haec praecipua cura fuisse videtur, ut cuius scriptoris scrinia compilaret, quantum fieri poterat, celaret. Compluribus enim locis, quibus Verrii sententia affertur, nomen eius silentio tegitur[4]. Eorum autem locorum quibus Verrius laudatur (VIII 5, X 7) prior maxime idoneus est, quo suspicio nostra confirmetur: abstinere enim

1) Aliter Varro d. l. L. V 64.

2) Dicat fortasse aliquis, ex hoc Verrii libro sumpta esse, quae ad Saturnum spectant. Sed cum ex hoc opere neque anni Romani historia neque aliarum Decembris feriarum descriptio orta esse possit, immo vero fastorum librum Macrobii auctor adhibuerit, tota Macrobii capita ad unum fontem revocanda esse censeo.

3) Varro de altera tantum Larentia egisse videtur (Agahd. p. 194. Mommsen, Röm. Forsch. II, p. 17. Wissowa, encyclop. real. I, p. 131).

4) VII 27 alia Saturnaliorum causa sic traditur VII 33 illud quoque in litteris invenio IX 16 huius rei haec causa narratur et alibi.

non potuit Macrobii auctor, quominus Verrium nominaret, ut plus se illo scire pronuntiaret. Multus vero in his quoque capitibus est in afferendis scriptoribus, quos Verrium adhibuisse constat:

Varrone VII 28, VIII 1, IX 16.
Hygino VII 19[1]).
Cornificio IX 11[2]).
Messala augure IX 14[3]).
Mallio X 4[4]).
Catone X 16.
Macro X 17[5]).

Adhuc Varronis antiquitatum libros horum capitum fontem principalem fuisse opinio vulgata erat; neque ego Varroniana multa in his capitibus inesse nego[6]). Cum autem fastorum liber sine dubio compilatus sit, qualem non scripsit Varro, scripsit Verrius, cum praeter Varroniana illa Verrii multa agnoverimus, cum quidam citentur auctores, quos Varro adhibere non potuit, Verrium adhibuisse constat, denique cum iam cap. XII—XVI ad Verrii fastorum libros revocata sint — nonne omni modo comprobata est opinio, summam capitum VII—X disputationis derivatam esse ex Verrii fastorum libris?

7.

Priusquam eam adgrediamur quaestionem, per quem scriptorem subministrata sit Macrobio doctrina Verriana, ad alius nos convertamus scriptoris opus, quod in eadem tractanda materia versatur qua Macrobii de quibus disputavi capita: Ioannis Lydi librum qui de mensibus inscribitur. In

1) cf. Fest. p. 82.

2) Cornificius etymologus saepe nominatur in libris de verborum significatu.

3) Fest. p. 351 quater. p. 379.

4) i. e. Manilio (Teuffel G. d. r. L.[5] p. 265), quem Festus p. 334 laudat in glossa ex fastis sumpta (s. v. sexagenarios).

5) cf. Macr. XIII 20.

6) Quae ad Varronem ex his capitibus referri possunt, diligenter collegit Agahdius p. 113 ss. Qui tamen non raro a Varronis doctrina discrepare monuit, quae a Macrobio disseruntur. Nonnulla ego in adnotationibus adieci.

confusa enim variarum rerum farragine, quae hoc libro continetur, primum obtinet locum disputatio, qua anni Romanorum origo et mutationes, mensium nomina, antiquitates divinae secundum dierum ordinem explanantur: cuius disputationis propositum plane convenit cum Verrii fastis. Hanc a ceteris libelli Lydiani argumentis secernere facillimum est, cum excerptores, quibus solis debemus eius cognitionem, singulas materias coniungere et conectere non conati sint.

Proficiscendum iterum est ab anni Romanorum historia. De qua eadem breviter exponuntur, quae Macrobius exhibet:

Lydus.	Macrobius.
p. 39,16 W. Annorum differentiae	XII 2.
9,8 annus Romuli (cf. 40,4. 169,11)	XII 3.
9,15 annus Numae (cf. 40,5. 169,11)	XIII 1 s.
47,18—48,18 menses Numae (cf. 84,7)	XIII 6, 7.
40,19 annus Caesaris (cf. 40,8)	XIV 1 s.
41,3 bissextum	XIV 6.

Idem consensus pertinet ad mensium nominum veriloquia et Kalendarum Nonarum Iduum explicationem:

Lydus.	Macrobius.
91,11 Martius	XII 5.
118,5 Aprilis	8.
118,9	14.
(laudatur apud utrumque Cincius)	
127,15 Maius	16.
21	19.
136,12 Iunius	30.
141,13 Iulius	34.
149,19 Augustus	35.
. . . διὰ τὸ ἐν τῷ μηνὶ τούτῳ τοὺς ἐμφυλίους παῦσαι πολέμους.	. . . cum . . . finis hoc mense bellis civilibus impositus sit.
63,1 Ianuarius	XIII 3.
83,1 Februarius	3.
. . . ἀπὸ Φεβρούας θεᾶς . . . Φεβρούαν δὲ θεὰν ἔφορον καὶ καθαρτικὴν τῶν πραγμάτων οἱ Ῥωμαῖοι παρέλαβον.	. . . Februo deo, qui lustrationum potens creditur[1]).

1) Quomodo ex Februo deo Macrobii facta sit Februa dea infra ostendam.

45,2	Kalendae	XV 10
46,13	Nonae	13
47,12	Idus	14 ss.
47,10	Idus Iovi sacratae, plenilunium	14 ss.
47,6	Kalendae Iunoni sacratae	18 s.
46,19	Nonae religiosae	21

Sed ea quoque, quae ad antiquitates divinas spectantia obiter a Macrobio commemorantur, apud Lydum in eodem sententiarum contextu redeunt:

99,1	αἱ ... Ματρῶναι ... τοὺς οἰκέτας εἱστίων, καθάπερ ἐν τοῖς Κρονίοις τουτὶ πράττειν ἔθος ἦν τοῖς δούλους κεκτημένοις (cf. 61,17)	XII 7	... servis cenas adponebant matronae, ut domini Saturnalibus.
118,13	Venus Martis vim lenit.	XII 9,10	
92,11		11	
119,10	Venus a matronis adorata	15	
132,7	Maia et Hermes a mercatoribus adorati	19	
136,23	Iuno adorata	30	
138,8	laridum (pertinet enim ad Kalendas Iunias)	33	

Quod autem priora Macrobii capita attinet, plena illa de Iani natura digressio apud Lydum ita redit (p. 63, 7—66, 17 = Macrob. I 9), ut communem ab utroque exscriptum esse auctorem liqueat [1]).

8.

Restat ut aliam absolvamus quaestionem. Macrobii disputationem primariam a Verrii fastis derivatam esse comprobare conatus sum; Lydus eundem videtur adhibuisse auctorem atque Macrobius: itaque cum Lydus libro quarto totius anni exponat ferias, ludos, res omnino sacras, haec quoque disputatio ad Verrii fastos revocanda erit, siquidem stabit ratiocinatio nostra. Quae disquisitio hac de causa difficilis efficitur: Lydi quae ad hoc argumentum spectant excerpta iam ab initio satis exilia inde a Iulio mense paene evanescunt

1) Hunc consensum, qui ad res minutas et auctores citatos pertinet, tam diligenter persecutus est Kahlius (Philologi Suppl. V, p. 740), ut plura de eo disserere supervacaneum sit.

prae aliis rebus, quibus magis delectabantur librariorum animi; et pari modo plenissima quam habemus Verrii fastorum enarratio, Ovidii fastorum libri, ab eodem mense finem capit. Itaque in prioribus sex tantum mensibus disquisitio nostra versabitur.

Neque vero dissimulandum est, plurima quae ad fastos spectant libri quarti excerpta talia continere, qualia in quavis fastorum enarratione proferri opus erat: itaque quod in his Lydus consentit cum Verrii reliquiis nullius est momenti. Eligendi igitur sunt ex Lydi disputatione ei loci, quibus res minus vulgatae et detritae tractantur, ut his agnoscantur Verrii vestigia. Inter quos primum locum obtinent duo excerpta tam copiosa, ut his fere integra Lydi disputatio servata esse videatur. Incipit enim liber a plena de Iani vi disquisitione, cuius fundamentum ex Verrii fastis sumptum esse in excutiendo Macrobii cap. IX ostendi. Accedunt apud Lydum alia eruditionis Verrianae documenta, quae Macrobius non descripsit:

Lydus.	
63, 14 Ianus Clusius	Ov. f. I 130.
Ianus Curiatius	Fest. p. 297 s. v. sororium tigillum.
65, 2 ἔφορος πάσης πράξεως	Paul. p. 10 s. v. Agonium. Ov. f. I 167.
65, 3 πόπανα	Paul. p. 104 ianual. fast. Praen. Kal. Ian. Ov. f. I 127.
66, 11 Ianus = χάος (citatur Ovidius[1])	Paul. p. 52 Chaos. Ov. f. I 103.

Pari modo quae de Februarii nomine disseruntur Lyd. p. 83, 2 ss. disquisitionis diligentia et copia excellunt: haec autem mirum in modum concordant cum Februarii nominis explicatione, quae apud Festum legitur:

Lydus.	
83, 11 φεβρουâρε = καθâραι	Paul. p. 85 Februarius. Ov. f. II 19 s.
84, 1 Februarius Iunoni consecratus	ibid ... a Iunone. Ov. f. II 435 ss.
11 Φεβρουάτος	ibid ... dies februatus.

1) Certe Lydus ipse Ovidium non inspexit, sed is, qui Verrii doctrinam posteris tradidit, Ovidii et Verrii consensu commotus est, ut illum adscriberet. — Aliter Varro ap. Tertull. de id. 15 (Agahd p. 185).

12 ... τὴν τούτου ἔφορον καὶ Φεβρουάταν καὶ Φεβρουάλεμ τοῖς ἱεροῖς ἀναφέρεσθαι	ibid ... a Iunone Februata, quam alii Februalem ... vocant.

Macrobius ex hac disputatione unam tantum Februarii explicationem exscripsit (XIII 3 a Februo deo)[1]), quam a communi Macrobii et Lydi auctore disputationi Verianae additam esse inde colligitur, quod apud Paulum Ovidium Censorinum desideratur neque omnino apud ullum prioris aetatis scriptorem exstat Februus deus.

Ex ceteris Lydi excerptis satis exilibus haec tantum memoratu digna sunt:

66, 19	Kal. Ian. ovatio	Ov. f. I 71 ss.
67, 15	οἱ ἄρχοντες ἐπὶ τῶν βημάτων ἐγίνοντο	165 s.
67, 17	strenae	185 ss.
42, 9	feriae sementivae	657 ss.
105, 15	id. Mart. εὐχαὶ δημοσίαι ὑπὲρ τοῦ ὑγιεινὸν γενέσθαι τὸν ἐνιαυτόν	Macr. I 12, 6.
119, 10	Kal. Apr. Venus adoratur	Ov. f. IV 133 ss. fast. Praen. Kal. Apr. Macr. XII 15.
124, 6	Fordicalia[2])	IV 629 fast. Praen. Paul. p. 83.
124, 21	Parilibus Roma condita	IV 807. Paul. p. 236.
128, 2	Kal. Mai. aedes Bonae deae dedicata	V 148. Macr. XII 21.
132, 7	Maia et Hermes	V 663. Paul. p. 148. Maiis idibus. Macr. XII 19.
138, 8	laridum	VI 169. Macrob. XII 33.
137, 14	Iunius nuptiis copulandis religiosus	VI 219.

1) Lydus Februum deum confudit cum Iunone Februali (Φεβρούαν θεὰν καθαρτικήν).

2) Quae Lydus de Fordicidiis refert, nusquam alibi leguntur. Quid theatrum, quid flores Fordicidiis? Immo ad Floralia, quae eodem mense incipiebant, haec spectant, quibus varia munera iactata esse in populum dicit schol. ad Pers. V 177. Quod autem sacrum segetum causa extra urbem factum attinet, Verrius in fastis Praenestinis et Ovidius (f. IV 905) referunt, Robigalibus, quae inter Fordicidia et Floralia celebrabantur, sacrum fieri solitum extra urbem ad V. lapidem (ἐπὶ ὡρισμένους σταθμούς!). Itaque, nisi fallor, Lydi vel excerptoris Lydiani neglegentia factum est, ut de Fordicidiis ea referrentur, quae revera ad eas quae his continuabantur ferias pertinebant.

137, 20	ἐπὶ δὲ τρεῖς ἡμέρας οὐκ ἐξῆν γυναιξὶν (immo uxori flaminis Dialis!) ἢ καρῆναι ἢ ὀνυχίσασθαι	VI 227.
138, 17	Vestalia	VI 311.
138, 19	Ἑστία ἀπὸ τοῦ ἑστάναι[1]	VI 299 (cf. 267 ss.) Fest. p. 262 s. v. rutundam.

Ex ceteris libri quarti reliquiis adiciendus est is locus, quo Augusti victoriae Actiacae mentio fit (159, 12): constat enim fastorum Praenestinorum et Ovidii testimoniis, Verrium in fastis eos dies notavisse, quibus olim rem bene gessisset vel novis honoribus auctus esset Augustus.

Neque hoc praetermiserim, quater a Lydo citari Cincium Verrii auctorem (p. 80, 12. 118, 1. 135, 18. 164, 17), semel adscripto libri titulo περὶ ἑορτῶν, quo certe fastorum liber significatur. Notandum autem est, omnes fere res sacras quae cum apud Lydum exstent tamen revocari non possunt ad Verrium auctorem[2]), post Verrii demum aetatem institutas esse: itaque postea earum mentio inserta est Verrii disputationi.

9.

Iam cum libri a Macrobio et Lydo compilati indoles minus obscura sit, eo perventum est, ut ad investigandum auctorem procedere possimus, qui illis eruditionem Verrianam subministraverit. In qua quaestione tractanda ab eis disputationis Macrobianae partibus proficiscendum est, quas a Verrio alienas esse eo apertum fit, quod laudantur scriptores aetate minores: cap. XII par. 20—29, quibus Macrobius a Maii mensis veriloquio profectus Maiam eandem esse atque Bonam deam, Faunam, terram exponit, et cap. XVI par. 28 ss., quibus nundinae utrum feriae sint necne disceptatur. Citatur enim priore loco bis Cornelius Labeo, qui tertio p. Chr. n. saeculo vixisse videtur, quamvis certi quidquam de eius aetate non compertum habeamus[3]), altero iterum Cornelius Labeo, Iulius

1) Aliter Varro ap. Aug. d. civ. d. VII 24 (Agahd p. 114).

2) Ea imprimis, quae in Isidis et Matris Magnae cultu sub imperatoribus novata sunt (cf. p. 101, 8. 105, 17. 113, 9. 166, 16).

3) Kahl, Cornelius Labeo. Philolog. Suppl. V, p. 804. Muelleneisen, de Cornelii Labeonis studiis (1889), p. 41. Wissowa, encycl. real. IV, p. 1351.

Modestus Tiberii aequalis, Granius Licinianus Antoninorum aetati tribuendus [1]). Has autem disputationis Macrobianae partes postea demum insertas esse vel adiectas disputationi primariae aliis quoque de causis cognoscitur. Recte enim observavit Wissowa (p. 17), eam quae priore loco deprehenditur rationem interpretandi allegoricam plane abhorrere a reliquae disquisitionis indole ideoque alienas esse has paragraphos a primario auctore — ut ego censeo: a Verrio.

Altera autem de nundinis disputatio si eiusdem esset scriptoris, qui paragraphis antecedentibus exscriptus est, legeretur post par. 6, qua nundinas ferias esse explanatur. Cum vero iam ad finem perducta tota dierum enarratione tam abrupte (28 ... quod autem nundinas ferias dixi ...) ad nundinas redeat Macrobius, sine dubio alienae sunt haec paragraphi ab auctore principali. Neque igitur mirum est, quod in eis paragraphis, quarum secundariam esse originem ostendi, citantur scriptores, qui post Verrium vixerunt [2]).

Quod autem priora Macrobii capita attinet, primum quidem iterum Iulius Modestus exstat, et una cum eo Masurius Sabinus aequalis laudatur (X 5. 8. 9); Cornelius Labeo desideratur, sed hunc nobis Lydus suppeditat: initio enim disputationis, qua Iani vis enarratur (63, 8), Labeoni tribuit enumerationem Iani indigitamentorum, quae redit apud Macrobium IX 15.

Quid igitur? In eis disputationis Macrobianae partibus, quae alienae sunt ab auctore principali Verrio, Cornelii La-

---

1) Teuffel, G. d. r. L.[5], p. 901. Mommsen in Solin. ed. II praef. p. XXIII.

2) Wissowa (p. 26 s.; encycl. real. IV, p. 1353) alienum esse ab eis quae Cornelii Labeonis aetate vigebant studiis putat, utrum feriae sint nundinae necne disceptare; ideoque pro Cornelio Labeone intellegendum esse Antistium Labeonem vult. Sed inspicias velim Macrobium: ei scriptores, quorum verba ante Labeonis commemorationem afferuntur, accurata antiquitatum cognitione nixi hanc quaestionem tractaverunt: de Labeone hoc tantum legimus: 'Cornelius etiam Labeo primo Fastorum nundinis ferias esse pronunciat', quae verba nihil significant nisi 'Labeo eis qui ante laudati sunt adsentit scriptoribus'. De suis igitur studiis Labeo nihil attulit.

beonis aut nomen exstat aut eruditio agnoscitur. Cornelius Labeo omnium quos affert Macrobius auctorum ultimus est. Cornelii autem Labeonis quod Macrobius citat opus inscribebatur 'fastorum libri', quales Macrobium compilavisse ostendimus. Nonne re ipsa in eam suspicionem inducimur, Macrobium totam de fastis disquisitionem Labeoni debere?

10.

Quaestionis summa in eo constat, utrum Macrobius ea, quae ad Labeonem auctorem revocata sunt, ipse aliunde petita inseruerit principali de anno et feriis disputationi [1]), an ex uno eodemque opere et illa et hanc desumpserit. Cuius quaestionis arbitrium reiciendum erit ad eum, cui communem esse cum Macrobio auctorem comprobavimus, Ioannem Lydum. Si enim aliena sunt a communi auctore additamenta illa, ad haec non pertinebit consensus, qui in factorum enarratione inter Macrobium et Lydum intercedit. Iam quid rei sit videamus.

Apud Lydum p. 127, 20 eadem profertur Maii mensis derivatio, de qua agit Macrobius XII 16. Deinde pergit: οἱ δὲ ἀπὸ τῆς Μαίας τῆς Ἄτλαντος τῆς Ἑρμοῦ μητρὸς ἀξιοῦντες ὀνομασθῆναι τὸν Μάϊον πρὸς ἕτερον βλέποντες οὕτω φασίν, ἀλλὰ μὴν καὶ διὰ τὸ ἱερὸν αὐτῆς, ὅτι κατὰ τοῦτον τὸν μῆνα ἱερωθῆναι λέγεται. Macrobius et ipse par. 19 Verrio auctore [2]) Maium a Maia Mercurii matre appellatum esse ait, deinde addit (par. 21): 'auctor est Cornelius Labeo huic Maiae .... aedem Kalendis Maiis dedicatam sub nomine Bonae Deae'. Cornelius igitur Labeo, ut Verrii de Maii nomine inventum comprobaret, Bonam Deam, cui aedes eo mense dedicata erat, eandem esse atque Maiam voluit: haec autem eius opinio brevius significatur Lydi quae exscripsi verbis. Itaque pari modo apud Lydum continuatur Labeonis doctrina Verrianae Maii explicationi atque apud Macrobium.

---

1) Hoc Wissowa contendit p. 17.
2) cf. supra p. 10.

Idem cadit in hunc Lydi locum: p. 132, 7 Lydus Maio mense Maiae et Mercurio a mercatoribus sacrificari aeque atque Macrobius (XII 19) Verrio auctore[1]) refert. Deinde haec consequuntur: Νουμήνιος δὲ ὁ Ῥωμαῖος τὸν Ἑρμῆν τὸν προχωρητικὸν λόγον εἶναι βούλεται· οὐδὲ γάρ, φησι, πρότερον βρέφος φθέγξαιτο, πρὶν ἂν τῆς γῆς ἐφάψαιτο ὥστε Μαῖαν εἰς γῆν καλῶς ἐξελάμβανον οἱ πολλοί. Apud Macrobium vero ea quae sequitur paragrapho (20) haec leguntur: 'adfirmant quidam, quibus Cornelius Labeo consentit, hanc Maiam, cui mense Maio res divina celebratur, terram esse .... et Mercurium ideo illi in sacris adiungi dicunt, quia vox nascenti homini terrae contactu datur: scimus autem Mercurium vocis et sermonis potentem'. En iterum apud Macrobium et Lydum pari modo conexam habes principalem Verrii disputationem cum Labeonis additamentis[2]).

Eiusdem Macrobii capitis par. 9—11 ab eo insertas esse Wissowa (p. 17) putat, neque ego alienas eas esse a Verrio infitias eo: sed comparemus ea, quae Lydus in enucleando Aprilis vocabulo profert:

Lyd. 118, 13 = Macrob. XII 9. 10.
„ 92, 11 = „ 11.

Accedunt alia libelli Lydiani excerpta, quibus diserte Labeo nominatur auctor. p. 83, 8 in fusa de Februarii nomine disputatione, cuius pars apud Macrobium redit, Labeo laudatur.

Nulla autem dubitatio relinquetur collatis his Macrobii et Lydi locis. Macrobii cap. XIII par. 6—7, quibus quot dies singulis mensibus Numa tribuerit explanatur, quin ad principalem de anno disputationem pertineant nemo dubitabit. His paragraphis cum ad verbum fere respondeant, quae paululum confusa Lydus refert p. 47, 15—48, 13, diserte Labeoni haec disputatio tribuitur. Quare elucet, Macrobium Labeoni non additamenta illa tantum, sed totam anni Romanorum expositionem debere.

Eadem observatio cadit in priora Macrobii capita. Di-

1) cf. supra p. 23.

2) Is auctor, cuius nomen corruptum (Mummius?) apud Lydum legitur, unus eorum fuit, quibus teste Macrobio Labeo consensit.

gressionis qua Iani vis enarratur (cap. IX) fundamentum ex Verrii fastis petitum esse ostendi. Eiusdem autem disputationis auctor apud Lydum (63, 8) Labeo nominatur.

Quid igitur? Macrobius et Lydus non in principali tantum de fastis disputatione, quae a Verrio pendet, consentiunt, sed in eis quoque argumentis, quae Macrobium ipse addidisse Wissowa putabat. Accedit, quod et apud Macrobium et apud Lydum tam arte conexa et copulata sunt Verriana cum Labeonis additamentis, ut nullo modo separari possint. Accedit tertium, quod bis apud Lydum Labeoni diserte ea tribuuntur, quae ex Verrii fastorum enarratione derivata sunt.

Haec omnia unam tantum recipiunt explicationem: Macrobius Labeonis fastorum libris non ea solum debet, quae expressis verbis ei tribuit, sed etiam universam de annis mensibus diebus, de feriis deis disputationem; ut huiusmodi scriptorum mos fuit, diligenter exscripsit auctorum nomina, quae apud Labeonem afferebantur, ipsum rarissime citavit.

11.

Tertio p. Chr. n. saeculo cum multae feriae priscis temporibus celebratae obsolevissent qui de feriis et ludis disputandum sibi proponeret facere non poterat, quin ad eorum virorum auctoritatem se conferret, qui exeunte libera re publica et primorum imperatorum aetate colligendis et explicandis Romanorum antiquitatibus studuerant, quippe quibus solis posteriores deberent harum cognitionem. Fastos vero perscripturus Cornelius Labeo quem ex his sibi auctorem principalem potius eligeret quam eum, qui et ipse fastos composuerat, Verrium Flaccum? A Suetonii de anno Romanorum libro mutuari potuit anni Romani historiam, minime vero feriarum expositionem. Ex Varronis operibus et anni Romani historiam et res sacras desumere poterat, sed summo cum labore conquirendae erant ex vastis antiquitatum libris diversae materiae, quae Verrii fastis comprehensae et iusto ordine explanatae praesto erant. Itaque quod comprobare conatus sum ipsa ratio cogit: anni Romanorum et antiquitatum divinarum cogni-

tionem Labeonem fastorum scriptorem petivisse ex Verrii fastorum libris. Sed Labeo Verrium non tantum descripsit, sed etiam amplivicavit inseruitque eas fèrias, quae post eius aetatem demum institutae erant. Haec additamenta petita videntur a nonnullis auctoribus, qui post Verrium de fastis vel de feriis scripserunt; quos utrum ipse inspexerit Labeo an apud auctorem aliquem iam coniunctos invenerit diiudicare neque ausim neque magni refert. Certe hi laudantur scriptores:

Masurii Sabini fastorum libri X 4. 5. 8 (cf. IV 6, 15).
Iulii Modesti de feriis liber X 9, XVI 28 (cf. IV 7).
Titi cuiusdam de feriis liber XVI 28.

Ex huiusmodi libris ea quoque desumpta videntur, quae Fenestellae (X 5) et Granio Liciniano (XVI 30) tribuuntur[1].

De suo autem fastorum libris Labeo eorum studiorum fructum mandavit, quorum propositum initio totius de Saturnalibus disputationis (Macr. VII 18) significatur: ultra ea quae aut fabulosis admixta a mythologis disseruntur aut a physicis in vulgus aperiuntur procedere ad arcanam divinitatis naturam. Quorum studiorum indoles optime ex eis cognoscitur, quae de Iano Saturno Bona Dea apud Macrobium Lydumque disseruntur[2]. Neque vero eorum, qui ante eum talibus studiis dediti fuerant, opera neglexit. Primum quidem ipse adhibuit Apollodori (Macr. VIII 5) celeberrimos περὶ θεῶν libros, quibus Stoicorum more fabulae, quae de deis narrabantur, ad rationem physicam referebantur. Eadem interpretandi ratione Gavius Bassus usus esse videtur in eo libro, quem de dis composuit (Macr. IX 13, Lyd. p. 65, 7). Nigidii de Iano disquisitio (Macr. IX 6. 8) petita esse videtur ex libris quos de dis eum scripsisse constat (Macr. III 4, 6)[3]. Apud Lydum denique Fonteii cuiusdam περὶ ἀγαλμάτων liber, cuius pro-

1) Apud Lydum citantur: Ἀνύσιος ἐν τῷ περὶ μηνῶν (p. 83, 5), Ἐλπιδιανὸς ἐν τῷ περὶ ἑορτῶν (p. 68, 16). Sed magnam suspicionem hoc movet, quod neuter usquam alibi memoratur non secus atque Numenius ille (p. 27).

2) cf. Kahl, p. 801.

3) Non nego, fortasse Labeonem Gavii Bassi et Nigidii testimonia ex Verrii fastis descripsisse.

positum simile eis quos enumeravi libris fuisse videtur, compluribus locis citatur (p. 65, 3 et alibi).

Labeonis fastorum libris Macrobium non haec tantum de quibus adhuc disserui capita debere censeo, sed etiam alias quasdam libri I partes, quae ipso argumento ad fastos spectant et, cum parum cum eis quae antecedunt et consequuntur paragraphis cohaereant, a Macrobio ipso insertae esse videntur disputationi principali. Accedit quod his quoque non deest Verrii consensus:

Macrob. (l. I).		
III 12—15	diei et noctis partes	Censorin. 24 Isidor. d. n. r. 1. 2. origg. V 30. 31.
XI 3—5	ludorum instauratio	v. infra p. 33.
5	instaurandi veriloquium	Paul. p. 111 instaurari.
XI 36—40	Nonarum Caprotinarum origo[1]).	
XVII 25—29	ludorum Apollinarium origo	Fest. p. 326 s. v. 'salva res est' Paul. 23 Apollinares ludi.

12.

Labeonis fastorum libri quid habuerint cum cognoverimus, num ab aliis praeter Macrobium et Lydum adhibiti sint quaerendum erit. Quae disquisitio cum intra huius dissertationis fines absolvi non possit, apud nonnullos scriptores Labeonis doctrinam exemplis selectis indicare satis habeo, plena de hoc argumento disputatione in aliud tempus reservata.

Paucis verbis agendum de Arnobio, quem in libris adversus nationes antiquitatum divinarum cognitionem Labeoni maximam partem debere Kettnerum[2]) secutus diligenter Kahlius evicit. Qui tamen quem Labeonis librum Arnobius compilaverit nescire se professus est, quippe qui Wissowae de Labeonis fastis opinionem suam fecisset[3]). Cum autem Kahlii ratiocinatio eis nitatur Labeonis fragmentis, quae in Macrobii

1) Eadem fabula legitur apud Plutarchum (Rom. 29), quem et ipsum Verrio eam debere alio loco ostendam.

2) Kettner, Cornelius Labeo. Ein Beitrag zur Quellenkritik des Arnobius. 1877.

3) p. 803 s.

et Lydi de quibus disputavimus capitibus leguntur, Labeonis fastos Arnobium adhibuisse efficitur.

Sequitur Lactantius Arnobii discipulus, qui div. inst. l. I c. 22, par. 9ss. de Bona Dea Labeonis theologiam exhibet[1]) et passim in primo secundoque libro res profert, quae apud Macrobium et Lydum Labeone auctore leguntur[2]). Imprimis l. I, caput 20, quo fuse de Romanorum deis disputatur, totum ex Labeonis fastis petitum esse videtur: cuius non solum pars maior miro modo consentit cum Verrii fastorum reliquiis, sed etiam initio (par. 5) Verrius ipse laudatur. Pari modo apud Arnobium non raro eruditio Verriana agnoscitur[3]), quam ex Labeone eum mutuatum esse consentaneum est.

Uberrima autem Labeonis fastorum fragmenta servata esse videntur per commentarium aliquem Vergilianum, quem et Macrobius et Servius Serviique qui dicitur interpolator compilaverunt. Imprimis quae de Penatibus Saturnaliorum l. III cap. 4, interpolatoris Serviani adnotationibus compluribus, Arnobii l. III, cap. 40, pari modo disseruntur, Cornelii Labeonis esse demonstravit Wissowa[4]). Accedunt aliae Servii adnotationes quarum manifestus est cum Labeonis reliquiis a Macrobio

1) Comparato hoc Lactantii loco cum Macrob. c. XII p. 20ss. Arnob. l. V. p. 18s. unum eundemque auctorem diversa ratione ab eis descriptum esse apparet.

2) cf. quae de ludorum instauratione leguntur Macr. XI 3 ss. Arn. VII 39, Lact. II 7, 20. Lactantius a ceteris qui eandem fabulam perscribunt auctoribus (Mommsen, Röm. Forsch. II p. 123) eo dissentit, quod Atinium, non Latinium rusticum, de quo illa narratur, bis (l. l. et II 16, 11) appellat. Apud Macrobium autem Annii nomen exstat, quod corruptum est ex Atinio. Itaque ad communem Macrobii et Lactantii auctorem singularis haec nominis forma referenda est.

3) Unum exemplum pro multis sit. L. V cap. 1 s. Arnobius citato Antiate miram de Iove a Numa decepto fabulam narrat. Valerii Antiatis annales Arnobium non inspexisse nemo negabit, Verrium in componendis fastorum libris consuluisse supra (p. 16) vidimus: eandem autem fabulam Ovidius perscribit fast. l. III v. 285 ss. Itaque Labeo, ut Ovidius, ex Verrii fastis eam sumpsit, ex Labeone Arnobius descripsit.

4) Herm. vol. XXII p. 29 ss. = Abhandl. zur röm. Religionsgesch. 1904, p. 95.

et Lydo servatis concentus [1]), ita tamen ut non e Macrobio eas descriptas esse appareat. Praeterea ex Labeonis fastis petitas esse coniecerim Servii adnotationes non paucas, quae cum ipso argumento ad fastos pertineant mirum in modum concordant cum Arnobii [2]) et Lactantii [3]) de quibus disputavimus capitibus aut cum Verrii [4]) fastorum reliquiis. Quae, ut iam dixi, alio loco plenius me executurum esse spero, ubi id quoque comprobare conabor, Verrii fastos non solum a Labeone, sed etiam a Plutarchi quaestionum Romanarum et Romuli Numaeque auctore aliquo et a Solini auctore chronographico compilatos esse.

---

1) Ad Georg. I 43 (de mensium nominibus), Aen. VII 607. 610 (de Iano), Aen. VIII 319. 357 (de Saturno), Aen. VIII 3. 14. 84 (de Fauna).

2) Ad Aen. I 8 (de musis) = Arnob. III 37.

3) Ad Aen. I 720 (de Venere Calva) = Lact. div. inst. I 20, 27. cf. Lyd de mens.. p. 11, 15. Aen. VIII 190 (de Caca) = div. inst. I 20, 36.

4) Ad Aen. VIII 269. 271 (de Hercule et Euandro), Ov. f. I 543 ss., Fest. p. 237, Potitium. Aen. VIII 336. 337 (de Carmenta), Ov. f. I 467. 633 s., Fest. p. 334 scelerata porta. Aen. VIII 285. 664 (de Saliis), Fest. p. 326 Salios, Ov. f. III 353 ss., Paul. p. 131 Mamuri. Aen. VIII 343 (de Lupercis), Ov. f. II 265 ss.

VITA.

Natus sum Theodorus Litt Duesseldorpii die XXVII mensis Decembris anni MDCCCLXXX patre Ferdinando matre Maria e gente Dimmers adhuc superstitibus. Fidei addictus sum evangelicae. Gymnasii Duesseldorpiensis per novem annos discipulus fui. Anno MDCCCIC maturitatis testimonio instructus Bonnam me contuli, ut studiis philologicis et historicis incumberem. Hieme annorum MCM/I universitati litterarum Berolinensi civis adscriptus Bonnam reverti ibique exeunte postquam per tria semenstria seminarii philologici sodalis fui anno MCMIII examen absolvi, quo docendi facultatem adipiscerer.

Docuerunt me viri docti:

de Bezold, Brinkmann, Buecheler, Elter, Erdmann, Hirschfeld, Jaeger, Klebs, Kuentzel, Lenz, Loeschcke, Nissen, Radermacher, Ritter, Solmsen, Strack, Usener, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorf. In proseminario philologico me instruxerunt Elter, Radermacher, Usener, in seminario philologico Brinkmann, Buecheler, Elter, Usener, in seminario historico Nissen. In componenda hac dissertatione Elteri consilio usus sum. Quibus omnibus quantum debeam semper grato animo tenebo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Maii mensis veriloquium, de quo agitur Ovidii fastorum l. V v 11—52, poeta ipse commentus est, ut Augusti maiestatem celebraret.

2. Iunii mensis veriloquium, de quo agitur fastorum l. VI v. 91—96, poeta ipse commentus est, ut significaret Tiberium ab Augusto Iunio mense adoptatum.

3. Macrob. Sat. l. I c 11 p. 3 pro 'Annio' scribendum 'Atinio'.

4. Platon. Theaetet. p. 189 D. (Schanz II 2 p. 69, 8) delendum ἐναντίον.

5. Platon. Axioch. p. 366 D πληγήν corruptum.

6. Gardthausenus in libro qui inscribitur 'Mastarna oder Servius Tullius' perperam interpretatus est quae de Mastarna traduntur.